



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

117. De recessu S. Bonifacij à S. Vvillibrordo in Anglia[m] & profectio[n]e  
versus Romam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

Othlonus lib. 2. cap. 26. agens de Martyrio S. Bonifacij dum ait, cum venissent ad flumen quoddam Borthne vocatum, quod est in finibus eorum, qui dicuntur rustica lingua Oiter, **Oostergow** / Austrachia, & Westerriche, **Westergow**. Non minus sane conuenit Bordne cum Burdone, quam **Boerdiep** Doufæ. Neque disconuenit ordo Aimonij scribentis Martellum in Austrachiam **Oostergow** irruisse & mox super Burdone fluuio Radbodum deuicisse. An Alueo totus hodie exciderit, est incertum. Aduerto in topographia Frisæ ad & circa Doocomium riuos aliquot fluere, & ad Oceanum vergere; aliquem istorum portari ab antiquo Burdonis alueo, mihi est probabile. Alluebat & Burdo siue Bordne Doocomiensem vicum, vltra quem per varios sinus ad Oceanum patrem inter Amelandiam & Scellingam properasse, posset concedi.

## DISSERTATIO CXVII.

De recessu S. Bonifacij à S. Willibrordo in Angliam & profectioe versus Romam.



Infridus, alias S. Bonifacius, postquam duodecim annis S. Willibrordi discipulus & cooperator in Frisia adhæssisset, exortis grauibus bellorum tempestatibus, quarum supra est facta mentio, inter Carolum Pipini defuncti gnatum & Radbodum Frisiorum Regem; quæ Ecclesijs Christi grauissimo erant detrimento, in Angliam ad suum Cœnobium redijt anno 716. In quo per annum & vltra sum-



ma pietate moratus repudiata proprij Monasterij præfe-  
ctura à fratribus oblata, charitate iuandi exteros errati-  
cos inflammatus, abiturum petit & obtinet. Et vt ( Othloni  
qui ante 500. annos vixit lib. 1. vitæ Bonif. c. 10. verbis vtat )  
eisdem votis maior auctoritas eueniret, adiit etiam ip-  
sius loci Episcopum venerandum nomine Danielem pe-  
tens, quatenus eius benedictione, & litteris commenda-  
titijs ad Romam profecturus vti meretur. Quam petiti-  
onem Episcopus idem nutu diuino instinctus, benigne  
suscepit, efficaciter compleuit. Nam pastoris prouidi  
intentionem gerens, & bonæ indolis virum, nomine Ste-  
phanum, orbatæ congregationi præesse fecit & hunc Dei  
famulum per longas peregrinationis vias ire cupientem  
ad loca desiderata cum litteris dimisit. Tali igitur bene-  
dictione suscepta protinus valedicens Fratribus, profi-  
ciscitur per longa terrarum spatia, perque ignotas maris  
vias, donec collecta vndique non modica multitudo  
seruorum Dei, eodem Spiritu feruentium, ad eum con-  
ueniret. Hi ergo omnes vnanimiter per singulos dies mul-  
tas SS. Ecclesias adierunt, obsecrantes, vt opitulante  
Deo tutius Alpium iuga transcenderent, Longobardo-  
rumque ferocitatem erga se leniorem sentire mereren-  
tur.

Nota hic primò. S. Bonifacius imitatus S. Willibrord.  
despectis cunctis patriæ facultatibus atque honoribus,  
pro Christi amore præque aliorum salute peregrinari vo-  
luit, cum omnium charitate & licentia fratrum vota sus-  
obtinuit. Charitate suggerente, gratia Dei intus trahen-  
te eo motus, non ductu libidinis, iræ, auaritię, ambitionis,  
quemadmodum nostri sæculi hæresiarchæ, &c.

Nota secundò, quantumuis interius se vocari percipe-  
ret, attamen inconsultis, inuitis superioribus, nihil atten-  
tat



rat eorum bonā veniam efflagitat, cum eorum benedictione discedit. Romani Pontificis Dei locum tenentis licentiam ad Apostolatus officium necessariam meditatur. Cum enim primo suo in Germaniam accessu fructus quos vellet, minus collegisset Sanctus, neque tamen idcirco diuinus eius aut extingueretur aut inopesceret zelus, aliam rem aggredi viā constituit, vt scilicet ab Apostolica sede, tanquam ab Apostolicæ prædicationis fonte, benedictionem haustrurus, Romam pergeret, plurimosque ad maximum, quod animo agitabat, opus socios & adiutores compararet. Simile obseruat Baronius in Beato Egberto S. Willibrord. direttore, in Wigberto, qui frustra Germanis euangelium anuntiare tentarant quod Romani Pontificis benedictione non essent muniti: videre, inquit, est ex ipso rerum exitu rem mirandam, sanctos viros à tanto opere læpius reuocatos, quousque eorum legitimus efficeretur apostolatus. Etenim quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? inquit Apostolus. Quousque enim à Romano Pontifice prædicandi Euangelium apostolatum non accepere, ipsorum labor minimè optatum finem consecutus est, vt scilicet ad fidem Christi barbaros aliquando conuerterent. Quare ex malis cautior Willibrordus, vbi in Frisiam appulit, confestim se Romam confert auctoritatis Pontificiæ tam pro se quam pro socijs obtinendæ causa: ne, inquit idem Baronius, in vacuum currerent; vbi ad verbi prædicationem iam patefactam viam viderunt, decernunt mox ad eum, quem vice Petri scirent vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ præesse, Romanum Pontificem, legationem, qua apostolatum acciperent ad gentes, licentiam, scilicet, atque auctoritatem Euangelij prædicandi. Mente condant hæc Nouatores qui præsumptiosè seiplos introducentes currunt &



neque à Deo, nec ab eius vicario mittuntur.

Nota 3. socios à Bonifacio in itinere acquisitos Cuentauicij conuenisse refert Serarius lib. 3. Moguntiacarum notatione octaua. Vbinam vero locus ille sit, mihi peregrino est ignotum.

Nota quartò, socios S. Bonifacij omnes vnanimiter per singulos dies multas SS. Ecclesias adijisse obsecrantes &c. Longe siquidem hi primi Germaniæ Apostoli à nouitijs nostrorum pseudoapostolorum erroribus, de sanctis non inuocandis, abfuerunt. Quis fructus illam deuotionem consecutus sit, mox videbitur.

Nota quintò, Daniel, à quo commendatitias fert Bonifacius, Episcopus fuit Occidentalium Saxonum, siue vt nunc loquimur, Epif. Wintoniësis: de quo plura Beda lib. 4. historiæ cap. 16. & lib. 5. cap. 19. & vltimo & Malmesb. lib. 2. de gestis Pontif. Angl. Hic Daniel, teste Beda, vir in rebus Ecclesiasticis & in scientia Scripturarum sufficienter instructus, in epistola quadam hoc testimonium dat Bonifacio: Misfrater, ait, consacerdosque carissime, te primam virtutum promereri gaudeo palmam, qui saxea, steriliaque hactenus Gentilium corda, fidei magnitudine fretus, fiducialiter aggrediendo, vomere Euangelicæ prædicationis infatigabiliter subigens, in glebas fertiles quotidiano labore conuerrere niteris, vt verè tibi aptari Propheticum, Euangelicumque dictum possit, Vox clamantis in deserto.

Nota sextò, profectio hæc Bonifacij versus Romam prima est; insignis litteris Danielis, sociorum multitudine ac pietate, Romani antistitis, quam sequenti cap. narrat Othlonus, humanitate. de duabus alijs profectioibus suo loco.

Nota septimò, eam contigisse anno Christi 718. deducit Serarius



Serarius lib. 3. Mogunticarum notatione 54. An autem eodem anno Romam appulerit, non reperitur expressum. Imaginor sequenti demum anno peruenisse, eo quod per longa terrarum spatia perq; maris vias proficisci oportuit: quotidie multas SS. Ecclesias adierint: quod in via socios collegerint, quæ omnia longam moram in itinere præsertim hyemali consumpserunt. Denique quod vsque in Martium sequentis anni Romæ fuerint. Quæ enim causa eousque tempus protrahendi, si hoc anno Romam intrarint?

## DISSERTATIO CXVIII.

Appellus ad urbem Romam cum suis Bonifacius à Pontifice humaniter & liberaliter accipitur.



Via iuuat veterum verba etsi minus polita audire, habent namque sæpe singularem energiam & significantiam inestque semper ad fidem auctoritatis & grauitatis plus, pergam proferre verba Othloni, eaque explanare: *Cumque*, inquit, *uniuersa ferocissima gentis discrimina illasi pertransirent, atque limina B. Petri Apostoli prospere adirent, statim debitas Christo gratias persoluunt, ibique abolitionem peccaminum atque itineris sui salicem exitum deprecantes, sperata suffragia inuenerunt. Nam postquam sanctus vir venerabilem sedis Apostolica Presulem, nomine Gregorium, qui eiusdem nominis secundus tunc habebatur, allocutus, ei aduentus sui causam manifestauit, & quali desiderio diutius desudasset, aperuit. Mox idem Presul bilari vultu intui-*